

Carl Friedrich Freiesleben

**De Virginibus Vestalibus Earumque Apud Romanos Iure : Commentariolum Quo Viro Illustri D. Ludovico Hoepfnero ... Reditum A Salinis Silesiacis**

Lipsiae: Typis Staritzii, 1836

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1816399906>


Druck Freier  Zugang





K. K. - 3 (205.)





DE

#3/

**VIRGINIBUS VESTALIBUS**

EARUMQUE

APUD ROMANOS IURE.

COMMENTARIOLUM

QUO

VIRO ILLUSTRIS

**D. LUDOVICO HOEPFNERO**

FACULTAT. IURID. ASSESS.

REDITUM A SALINIS SILESIACIS

GRATULATUR

**Dr. C. F. FREIESLEBEN.**

---

**LIPSIÆ**

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

1836.

UNIVERSITÄT ROSTOCK  
BIBLIOTHEK

Cum iam diu ad Te aliquid scribere apud me  
constitissimè, quo Tibi, Vir Illustris, parati  
sunt meritis, Te faciam quatenus in lucro, tam  
in publicis, quam privatis negotiis Te cum in  
societatem venisse, ponam. Tum ad fontem sa-  
linum Silesiacum profectio, nuda, ut Hygia sal-  
vum aspidem Te reduzerit, ex animo opto,  
ut consistam a me susceptam pericula, non so-  
lam factam recessionem, sed materiam quodam  
praebit. Quam cum in litteris stam post  
Teum apud apas salubres adventum ad Ki-  
gelium, Virum Illustris, communitatem nostram  
inducam, missis et ab eo benevole necura com-  
mittentis, ut illi coram, quae bona atque pul-  
cra habeant, ab Te dimittere soles, inter alia  
quodque virginum ibi commorantium mentem  
lectissas, cum materiam stam cum amplexu  
stam vero reputans, nulli rei Te pretium sta-  
tuere, nisi aliquid saltem modo ad has, cuius  
propae assiduum ac strenuum sacerdotem Te ca-  
re, omnes animus, pertinet, quodam in luo

Cum iam diu ad Te aliquid scribere apud me  
constituissem, quo Tibi, Vir Illustris, quanti,  
uti mereris, Te faciam quantoque in lucro, tam  
in publicis, quam privatis negotiis Tecum in  
societatem venisse, ponam, Tua ad fontem sa-  
linum Silesiacum profectio, unde, ut Hygia sal-  
vum sospitemque Te reduxerit, ex animo opto,  
ut consilium a me susceptum perficiam, non so-  
lum laetam occasionem, sed materiam quoque  
praebuit. Quum enim in litteris statim post  
Tuum apud aquas salubres adventum ad Kri-  
gelium, Virum Illustrem, communem nostrum  
amicum, missis et ab eo benevole mecum com-  
municatis, uti nil eorum, quae bona atque pul-  
era habentur, abs Te dimittere soles, inter alia  
quoque virginum ibi commorantium mentionem  
fecisses, eam materiam statim sum amplexus,  
simul vero reputans, nulli rei Te pretium sta-  
tuere, nisi aliquo saltem modo ad Ius, cuius  
aeque assiduum ac strenuum sacerdotem Te es-  
se, omnes scimus, pertineat, quodnam in Iure

\*

argumentum ad speciem in litteris Tuis commemoratam commode referri possit, quaesivi et ita in Virgines Vestales incidi, de quarum apud veteres Romanos iure pauca iam disserere per Te mihi liceat. Quamvis enim haec disputatio ad solam antiquitatem romanam spectet, haud tamen Te, Vir Illustris, „quid hoc ad Acta nostra,“ mihi acclamaturum esse, vereor, quippe quum etiam eiusmodi generis argumenta ab Actis non aliena Te putare, sciam.

Virgines Vestales a Numa Pompilio institutas fuisse constat<sup>1)</sup>, earum autem munus in eo versabatur, ut tanquam assiduae Vestae sacerdotes, ignem sacrum, sub quo Romani Deam Vestam colebant<sup>2)</sup>, asservarent, quapropter etiam, sicuti ignis earum curae demandatus purum liquidumque reddidit fulgorem, et ipsae castitate sanctae et venerabiles esse debuerunt<sup>3)</sup>. Legebantur hinc non nisi e familiis honestate insi-

1) LIV. Lib. I. c. 20. et CIC. de Republ. Lib. II. c. 14.

Cf. quoque WILKE Diss. de Virginum Vestalium iure deprecandi pro reis. Lips. 1762. 4. §. 1. p. 4 sq.

2) OVID. Fast. Lib. VI. v. 291. Cf. WILKE l. I. p. 4.

3) LIV. l. 1. et CIC. de Legg. Lib. II. c. 12. Cf. WILKE l. I. §. 2. p. 6.

gnibus<sup>4)</sup>, et quidem haud ante annum aetatis sextum, neque vero etiam post annum decimum<sup>5)</sup>, sed eae tantum, quae ex nuptiis per confarreationem contractis procreatae erant quaeque hinc patrimae et matrimae vocabantur<sup>6)</sup>. Ipsa vero earum electio certo aliquo coque per Legem praescripto ritu fiebat, scilicet a pontifice maximo manu capiebantur, adhibitis quibusdam in eo actu verbis solennibus<sup>7)</sup> Ad numerum Virginum Vestalium, quarum ea, quae re-

4) SENEC. de Provident. c. 5. Cf. WILKE I. I. p. 9. Non vero e patriciis solummodo, sed etiam e plebeiis Virgines Vestales eligebantur. Cf. HEINECCIUS Antiquitt. rom. App. Lib. I. Cap. I. §. 66. p. 287.

5) GELL. Noct. Att. Lib. I. c. 12. Cf. WILKE I. I. p. 6.

6) GELL. I. I. Cf. WILKE I. I. nec non HEINECCIUS I. I. Lib. I. Tit. X. §. 5. p. 128.

7) GELL. I. I. ubi simul verba solennia, quibus utebatur pontifex, referuntur. Cf. WILKE I. I. p. 6 sq. et BACH Histor. iurispud. rom. Lib. II. c. 2. §. 27. p. 142. ed. STOCKMANN. Ex Lege Papia nempe (a. u. 504.) pontifex maximus arbitrato suo viginti virgines e populo legit, sortitio deinde in concione ex eo numero fiebat, et, cuius virginis sors ducta fuit, eam cepit, ut Vestae esset. Per modum tamen dispensationis, quae quidem a senatu impetranda erat, ut quis filiam suam ad sacerdotium Vestale offerret, accidere potuit. Cf. DIRKSEN civ. Abhdl. Bd. I. Num. IV. p. 288.

liquas aetate superavit, Virgo maxima appellatur<sup>8)</sup>, quod attinet, non nisi sex Vestales constitutae fuere<sup>9)</sup>, earum autem cura ac custodia, sine dubio a multis appetita, pontifici maximo competebat<sup>10)</sup>. Per triginta annos in sacerdotio permanere eas oportuit, quibus elapsis in mundum reverti et ad nuptias accedere iis licebat<sup>11)</sup>. In primo quidem decennio sacrorum rationem discere debuerunt, in secundo ea exercere, in tertio denique alias docere, quapropter etiam in discentes, exercentes et docentes dividebantur<sup>12)</sup>. Iam supra, officium Virginum Vestalium potis-

8) TACIT. Annal. Lib. XI. c. 32. Cf. WILKE I. I. p. 8.

9) FEST. de Verbor. signif. Lib. XVII. p. 522. — Cf. WILKE I. I. p. 6. Numa quidem quatuor constituit Virgines Vestales, duas reliquas addidit Servius Tullius sive iam ante eum Tarquinius Priscus. Cf. IUST. LIPSIUS de Vesta et Vestal. Cap. V. in Graev. Thesaur. Antiquitatt. rom. Tom. V. p. 634.

10) Cf. SCHWEPPE *röm. Rechtsgesch.* §. 206. p. 384 ed. 3.

11) DIONYS. Halicarn. Antiquitatt. rom. Lib. II. p. 127. Cf. WILKE I. I. p. 7 sq. Caiae Tarratiae, Virgini Vestali, privilegii causa, ut nubere possit, concessum fuisse, uti PLUTARCH. in Valer. Publicol. p. 100 sq. refert, fabulose enarratum est. Cf. DIRKSEN I. I. p. 311 sq.

12) Cf. LIPSIUS I. I. Cap. VII. in Graev. Thesaur. Antiquitatt. rom. Tom. V. p. 636 sq.

simum in eo, ut ignem sacrum, ne exstingeretur, curarent, collocatum fuisse, diximus. Praeterea vero etiam arcani imperii pignoris, quod palladium vocabatur, custodiam habuerunt<sup>13)</sup>, nec non tam interdium, quam noctu sacrificia ab iis celebranda erant<sup>14)</sup>, sicuti etiam publicas pro salute et incolunitate reipublicae preces instituere debebant<sup>15)</sup>. Negligentes in officio pariter atque eas, quae iocis aut cultu scitiori decentiam atque gravitatem laeserant<sup>16)</sup>, poenae manebant, quae convocato pontificum collegio a pontifice maximo decernebantur<sup>17)</sup>. Et quidem si earum incuria ignis exstinctus fuit, Vestalis, quae eius custodiam habuerat, flagro caedebatur<sup>18)</sup>, quod

13) DIONYS. Halicarn. l. l. Cf. WILKE l. l. p. 8 sq.

14) SENECA l. l. Cf. WILKE l. l. p. 9.

15) HORAT. Lib. I. od. 2. v. 16 sqq.

16) LIV. Lib. VIII. c. 15. Cf. LIPSIVS l. l. Cap. XIII. in Graev. Thesaur. Antiquitat. rom. Tom. V. p. 649 sqq.

17) LIV. l. l. Cf. LIPSIVS l. l. Insequenti imperii romani aetate imperatores, ut pontifices maximi, cognitionem in Virgines Vestales earumque mores habuerunt. Cf. DIRKSEN l. l. Num. II. p. 169.

18) VALER. MAX. Lib. I. c. 1. §. 6. Cf. WILKE l. l. p. 8. Exempla quoque occurrunt apud LIV. Lib. XXVIII. c. 11. et Lib. XLI. c. 2. Idem vero VALER. MAX. l. l. §. 7. aliam Virginem Vestalem, quum, post-

si vero castitatem violaverant stuprumque commiserant, decreto pontificum antea, ut familiam in potestate haberent, iussae<sup>19)</sup>, in agro scelerato iuxta portam Collinam vivae defodiebantur<sup>20)</sup>.

quam carbasum foculo imposuisset, ea adorante subito ignis emicuerit, Vestam ipsam ab omni reprehensione tutam praestitisse, narrat. Cf. quoque PROPERT. Lib. IV. eleg. 11. v. 53 sq.

19) LIV. Lib. VIII. c. 15. Tali scilicet decreto Virgini Vestali propter incestum damnatae alienatio bonorum suorum interdicebatur, ne civitas, quae Virginibus Vestalibus sine testamento demortuis heres exstitit, iis defraudaretur. GELL. Noct. Att. Lib. 1. c. 12. Cf. DIRKSEN I. I. Num IV. p. 269.

20) DIONYS. Halicarn. I. I. et PLUTARCH. in Numa p. 67. ubi simul solennia lugubria ultimi huius supplicii describuntur. Cf. WILKE I. I. §. 5. p. 21 sqq. Hac quidem poena plures Virgines Vestales affectas fuisse, multa comprobant exempla. Sic LIVIUS id narrat de Oppia Vestali Lib. II. c. 42. de Minucia Lib. VIII. c. 15. de Sextilia Epit. Lib. XIV. de Tuccia Epit. Lib. XX. de Opimia atque Flornia, quarum tamen altera sibimet ipsi mortem conscivit, Lib. XXII. c. 57. nec non de Aemilia, Licinia et Marcia Epit. Lib. LXIII. Pari modo Plinius quoque Epist. Lib. IV. ep. 11. id ipsum refert de Cornelia Virgine Vestali. Hoc unum ex caeremoniis ad ultimum Virginum Vestalium supplicium pertinentibus afferre liceat, in aedicula subterranea, ubi defodiebantur, lucernam accensam et pauca eorum,

Iamiam a Numa Pompilio Virgines Vestales variis privilegiis ornatae fuerunt<sup>21)</sup>, quae quidem etiam posterioribus temporibus non solum retenta, sed etiam aucta sunt quaeque vel ad cultum externum, vel ad ius et quidem cum publicum, tum privatum pertinent.

Privilegia Virginum Vestalium, quae ad cultum externum referuntur, partim in stipendio publico, quod iis statutum fuit, aliave pecunia in ipsarum usum collocata, nec non in agris, quorum vectigalibus alerentur, iis assignatis, conspicua erant<sup>22)</sup>, partim in vestitu, vitta sci-

quae ad victum sunt necessaria, ut panem, aquam in ampulla, lac et oleum apposita fuisse. DIONYS. Halicarn. l. I. Et ea quidem occasione mentio facienda est picturae illius aequae subtilis ac egregiae, quae Függerum, magni nominis artificem auctorem habet, qua Virgo Vestalis, quae pompa funebri ad ultimum supplicium perducitur, proposita est, cui ab infantibus, quo vitam paulo diutius trahere possit, poma aliaque cibaria porriguntur.

21) PLUTARCH. l. I. p. 66. Cf. WILKE l. I. §. 3. p. 10. nec non SCHWEPPE l. I. p. 385.

22) LIV. Lib. I. c. 20. et Tacit. Annal. Lib. IV. c. 16. Cf. LIPSIUS l. I. Cap. XII. in Graev. Thesaur. Antiquitatt. rom. Tom. V. p. 646 sqq. Eiusmodi agri Virginitibus Vestalibus etiam a privatis legabantur, sed iis, quae ita accipiebant, ita liberaliter usae sunt, ut ne-

licet et veste candida, purpura praetexta, appa-  
 ruerunt<sup>23)</sup>, partim denique in honoribus iis tri-  
 butis versabantur, qui quidem honores potissi-  
 mum in eo se exhibuerunt, ut in ludis publicis  
 locum separatum contra praetoris tribunal ob-  
 tenerent<sup>24)</sup>, ut carpento uti possent<sup>25)</sup>, ut iis ex-  
 euntibus lictor, qui obviam venientes summove-  
 ret, praecederet<sup>26)</sup> utque non solum et ipsi ma-  
 gistratus, veluti consules et praetores, viam Ve-  
 stalibus cedere<sup>27)</sup>, sed lictores quoque fascēs,  
 quos magistratibus praeferebant, iis submittere  
 deberent<sup>28)</sup>.

minem e populo in urbe mendicare paterentur. Cf.  
 BALDUIN. Constantin. M. Lib. I. in HEINECC. Iurisprud.  
 rom. et att. Tom. I. p. 581.

23) Cf. LIPSIUS I. I.

24) SUTTON. August. c. 44. Cf. WILKE I. I. p. 11. Sic  
 Tiberius, ut, quoties Augusta theatrum introisset, in-  
 ter Vestales consideret, constituit. TACIT. Annal. I. I.

25) Cf. LIPSIUS I. I. Cap. XI. in Graev. Thesaur. Anti-  
 quitatt. rom. Tom. V. p. 645 sq.

26) Et quidem partim honoris, partim tutelae causa, quo-  
 nam scilicet Virgo quaedam Vestalis, a coena sub ves-  
 peram domum rediens, quum, quae esset, ignoraretur,  
 stuprum passa fuerat. Dio Cass. Lib. XXVII. p. 385.  
 Cf. WILKE I. I.

27) SENEC. Controvers. Lib. I. contr. 2. Cf. WILKE I. I.

28) SENEC. I. I. Lib. VI. contr. 8. Cf. WILKE I. I.

Maiores vero momenti ea sunt Virginum Vestalium privilegia, quae ad ius, sive publicum, sive privatum spectant, de quibus, quoniam ad argumentum a me propositum propius pertinent, paulo uberius disserendum est. Iam igitur

A. Ad ius publicum, quod attinet, inter privilegia Virginibus Vestalibus concessa inprimis commemoranda sunt haec:

1) Sacrosanctae erant, ita ut ii, qui castitatem earum et sanctitatem laeserant, veluti si quis, dum veherentur, earum sellas subiret, ultimo supplicio punirentur<sup>29)</sup>.

2) Ius sepulturae in urbe iis permissum fuit<sup>30)</sup>, quum id aliis civibus ex Legge denegatum esset<sup>31)</sup>.

3) Ius habuerunt idque proprie naturae mulierum consentaneum, ius scilicet deprecandi pro reis, ita quidem, ut aut ad ultimum supplicium dam-

29) Cf. LIPSIUS l. l. nec non WILKE l. l.

30) Cf. PET. MORESTELL. de Pompa Feral. Lib. V. Cap. 7. n. 4. in Graev. Thesaur. Antiquitat. rom. Tom. XII. p. 1426.

31) Haec sanctio iam Legibus XII. Tabularum et quidem Tab. X. continetur. Cf. BACH l. l. Lib. I. Cap. II. p. 64. et SCHWEPPE l. l. §. 225. p. 414. Honoris causa tamen viris virtute illustribus, ut in urbe sepelirentur, concessum fuit. Cic. de Legg. Lib. II. c. 23.

nati, quando forte iis occurrerent, mortis poena eximerentur<sup>32</sup>), aut ut ipsae pro reis eo tempore, quo iudices sententiam ferebant, deprecarentur<sup>33</sup>).

Haec de privilegiis Virginum Vestalium ad ius publicum pertinentibus. Ratione

#### B. Iuris privati

earum privilegia maxime in his conspicua sunt:

1) Solutae fuerunt Virgines Vestales a patria potestate<sup>34</sup>), cuius quidem exemptionis ratio non tam in eo, quod a pontifice maximo ad sacerdotium caperentur et ita capitis deminutionem subirent, quam potius in ipsa earum dignitate posita fuisse videtur<sup>35</sup>). Pari modo

2) immunes quoque erant a tutela mulie-

32) PLUTARCH. in Numa p. 66. Cf. WILKE I. I. §. 4. p. 12.

33) Cf. WILKE I. I. nec non HEINECCIUS I. I. Lib. IV. Tit. 18. §. 31. p. 767. Exempla eiusmodi deprecationum occurrunt apud Cic. or. pro Fonteio c. 17. Sueton. in Tiberio c. 2. et Tacit. Annal. Lib. XI. c. 32.

34) ULPIAN. Fragm. Tit. X. §. 5. et GAI. Lib. I. §. 130. Cf. quoque HEINECCIUS I. I. Lib. I. Tit. XII. §. 14. p. 161.

35) Cf. HUGO *Lehrb. der Gesch. des röm. Rechts Abth. 1.* p. 161. 11te Aufl. et SCHILLING *Bemerk. über röm. Rechtsgesch.* p. 47. Dissentit tamen SCHWEPPE I. I. §. 384. p. 680.

bri<sup>36)</sup>, quae quidem a tutela muliebri liberatio eum effectum habuit, ut

3) sine tutoris auctoritate testamenta condere possent<sup>37)</sup>, quum reliquarum feminarum testamenta non nisi interposita a tutore auctoritate rata haberentur<sup>38)</sup>. Sic quoque

4) facultas testamenta ante annum aetatis duodecimum faciendi iis competiit<sup>39)</sup>, qui quidem annus in feminarum testamentis legitimus fuit<sup>40)</sup>. Porro

5) ius liberorum Virginibus Vestalibus concessum fuit<sup>41)</sup>, ea quidem vi, ut, quamvis coelibes, ex testamento extranei cuiusdam succedere possent, quum ex Lege Iulia (a. u. 757.) eius-

36) GAI. Lib. I. §. 145. Cf. HEINECCIUS I. I. Lib. I. Tit. XX. §. 16. et §. 20. p. 173. et p. 176. nec non HUGO I. I. *Abth.* I. p. 171.

37) GELL. Noct. Att. Lib. I. c. 12. Cf. HUGO I. I. *Abth.* I. p. 555. et SCHWEPPE I. I. §. 441. p. 769.

38) Cf. HUGO I. I. et SCHWEPPE I. I. p. 768 sq.

39) Cf. WILKE I. I. §. 3. p. 10. et SCHWEPPE I. I. §. 441 p. 769.

40) ULPIAN. Fragm. Tit. XX. §. 15. et GAI. Lib. II. §. 113.

41) Cf. WILKE I. I. et HEINECCIUS I. I. Lib. I. Tit. XX. §. 16. not. f. p. 173.

modi successio feminis innuptis interdicta esset<sup>42)</sup>. Eodem modo

6) quamvis e familia excesserint suaeque heredes esse desierint, nihilominus tamen, si a patre in testamento praeteritae erant, etsi non iure civili, at vero iure praetorio per bonorum contra tabulas possessionem, sicuti aliis liberis emancipatis, successio hereditaria iis competiit<sup>43)</sup>. Idque sine dubio etiam de bonorum possessione ab intestato iis a praetore data valuit, quippe quum iure praetorio emancipatio ratione bonorum possessionis pro rescissa haberetur<sup>44)</sup>. Deinde

7) ex testamentis ab iis conditis feminae quoque succedere poterant<sup>45)</sup>, quo quidem privilegio simul a Lege Voconia (a. u. 585.), quae mulierum institutionem in testamentis eorum, qui censi fuerant, id est, uti plerumque intelligitur,

42) Cf. HUGO I. I. *Abth.* 2. p. 755. SCHWEPPE I. I. §. 444. p. 774. et SCHILLING I. I. p. 305.

43) L. I. §. 6. D. de Bonor. possess. contra tab. (XXXVII. 4.) Cf. SCHILLING I. I. p. 211.

44) L. cit. I. §. 6. D. de Bon. poss. contra tab. Cf. SCHWEPPE I. I. §. 467. et §. 468. p. 815. Quod enim GELL. Noct. Att. Lib. I. c. 12. Virginem Vestalem heredem non esse cuiquam intestato, ait, id de iure civili intelligi debet.

45) Cic. de Rep. Lib. III. c. 10. Cf. HUGO I. I. *Abth.* I. p. 389. SCHWEPPE I. I. §. 444. p. 774. et SCHILLING I. I. p. 210.

opulentorum, prohibuit, aut saltem coercuit<sup>46)</sup>, eximebantur. Postremo autem

8) adhuc annotari meretur, testamenta a civibus conscripta interdum apud eas deposita fuisse<sup>47)</sup>, id quod nominatim exemplo Iulii Caesaris et Augusti, qui testamenta sua Virgini maximae commendaverant<sup>48)</sup>, confirmatur.

Denique vero quaedam adhuc occurrunt Virginum Vestalium privilegia, quae

C) Ad utrumque ius, cum publicum, tum privatum

spectant, et in his quidem privilegiis inprimis collocanda sunt haec:

1) Ut exemptae essent Virgines Vestales a iurisiurandi praestatione<sup>49)</sup> utque

46) Cf. HUGO. I. I. *Abth.* I. p. 387. SCHWEPPE I. I. p. 772 sq. et ZIMMERN *Ueber die Lex Voconia* in Ei. et NEUSTETELS *röm. rechtl. Unters. Bd. I. N. XIII.* p. 328.

47) Cf. HEINECCIUS I. I. Lib. II. Tit. X. §. 11. p. 439.

48) SUTTON. in Iul. Caesar. c. 83. in Octav. c. 101. et TACIT. *Annal.* Lib. I. c. 8.

49) GELL. *Noct. Att.* Lib. X. c. 15. Cf. HEINECCIUS I. I. GROEM. §. 14. p. 12. Excepto tamen eo casu, si ultimi supplicii damnatus iis occurrit, ubi iusurandum, fortuitum hoc fuisse, ab iis exigebatur. PLUTARCH. in Numa p. 66. Dissentit quidem WILKE I. I. §. 4. p. 17. qui Virgines Vestales hac quoque in specie a iurisiurandi

2) ad testimonium in foro et iudicio dicendum cogi non possent, praetor potius, si voluerint, domi eas interrogare deberet<sup>50)</sup>.

Et haec fere sunt, Vir Illustris, quae de Virginibus Vestalibus earumque apud Romanos iure dicenda mihi fuerunt. Perpauca quidem sunt, fateor, sed plura afferre nolui, quippe quum brevitatem et Tibi amicissimam esse, sciam. Sufficiunt, si modo exiguum animi, quo erga Te sum affectus, monumentum exhibent, quapropter etiam, ut hocce commentariolum, quod quidem in publicum prodire neque vult, neque debet, benevole accipias, abs Te peto. Ceterum, quamvis illud aliquanto tardius in manus Tuas perveniat, id tamen nimis sero fieri, non vereor, quippe quum aquarum salubrium effectus, uti scis, demum post earum usum sese exhibeant ideoque etiam gratulationes meae adhuc tempestivae et suo loco positae esse videantur. Vale.

---

praestatione exemptas fuisse putat. Diversa autem hic et maximi momenti agebatur causa, liberatio scilicet mortis damnati ab ultimo supplicio, et ita utique fieri potuit, ut Virgines Vestales, quamvis alias a iureiurando eximerentur, tamen, si eiusmodi casus incidit, id praestare tenerentur.

50) TACIT. Annal. Lib. II. c. 34. Cf. WILKE I. I.

---









momenti ea sunt Virginum  
 a, quae ad ius, sive publi-  
 spectant, de quibus, quoniam  
 me propositum propius per-  
 s disserendum est. Iam igitur  
 publicum, quod attinet,  
 ginibus Vestalibus concessa  
 anda sunt haec:

e erant, ita ut ii, qui ca-  
 sanctitatem laeserant, ve-  
 herentur, earum sellas subi-  
 o punirentur<sup>29</sup>).

e in urbe iis permissum fuit<sup>30</sup>),  
 ex Lege denegatum esset<sup>31</sup>).

nt idque proprie naturae mu-  
 n, ius scilicet deprecandi pro  
 at ad ultimum supplicium dam-

nec non WILKE I. I.

ELL. de Pompa Feral. Lib. V. Cap.

Thesaur. Antiquitatt. rom. Tom. XII.

Legibus XII. Tabularum et quidem

Cf. BACH I. I. Lib. I. Cap. II. p.

I. §. 225. p. 414. Honoris causa

illustribus, ut in urbe sepelirentur,

de Legg. Lib. II. c. 23.

